

Baccho perfimilia, sed verba Græca aliquot in Nomismate fuere sic corrosa propter antiquitatem, vt propè diuinârim. Sed illud verbum ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. malim legere Antinopoleos, hoc est ciuitas Antinoi, & si Metropoleos legi possit, quod nō ignoro, cū me admonuerit præceptor maximus Alciatus in Disruptionibus lib. 2. cap. xxij. pontificij iuris locum quendam restituens in cap. cleros, distinc. xxi. quid sit Metropolis, quod & doctissimus Erasmus animaduertit in suis scholijs ad epistolam Diui Hieronymi de vita clericorum, Nam ex lexico Græco ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ, matrix vrbs dicitur, ex qua colonia deducuntur. Quod autem pertinet ad illa verba Græca, ΝΕΟΚΟΡΟΥ ΑΔΡΙΑΝΙ ΙΚΤΑΡΥ #. quid sit illud verbum ικταρυ, me latet, cū sic concisa, ac promemodum deleta essent verba, vt vix legi possent. ΝΕΟΚΟΡΟΥ autem pro nouo ædituo positum est. Nam ΝΕΟΚΟΡΟΣ, est idem quod ædituus, qui res sacras tractat atque custodit, ornâtque, à ΝΕΟΣ templum, & κερὼ purgo, siue verro, illa autem subscriptio Græca, quæ inerat tripodi, ΝΕΟΠΥΔΙΩ scilicet, pro nouo Pythio seu Apolline accipi conuenit. Tripos enim Apollini, sacer est, propterea quod phœbades ex eo oracula proferrent, & dicatus propter numeri ternarij perfectionem, vel propter tres cæli circulos, quorum vnum secat sol annum cursum perficiens. Tripodes etiam Apollinis erant coronati, hinc Aristophanes in Pluto. ἄφοιβος ἔλακερ ἐκ τῶ σεμματῶρ. tribuunt Apollini tripodem propter tria tempora, vt ex Homeri carmine constat, nouit enim τ' αὖ' ἐόντα τ' αὖ' ἐατόμενα, πρὸς' ἔόντα de Tripodis inuentione, vide in vita Solonis apud Platarchum. Qua verò forma Tripos esset variè proditur. Quidam mensam, vas alij, plerique perforatum sedile tradidère. Sed in Nomismate quod vidi, videtur fuisse forma vasis, in tres longos pedes desinentis. Sed & Tripos certantibus præmium dari solitus, id quod Pindarus, & Horatius, Virgiliusque ostendunt. Græci autem laurum Apollini attribuere, non tam ob Daphnes fabulam, quàm ob ipsius plantæ virtutem. de qua non nulla Phornutus dixit. Aphtonius etiam diuinationis symbolum, laurum esse tradidit. Ideo & ματινὸρ φυτὸρ. i. Præscientia futuri seu diuinandi ars, seu planta vaticinatrix est appellata, futurorumque præscia credita. Claudianus,

- *Venturi præscia laurus.*

Fulgentius, lauri folia, si noctu puluino subiecta fuerint, veritatem somniorum conciliari ait, quod & Alciatus noster in emblematis arborum his duobus versibus confirmat,

*Præscia venturi laurus fert signa saluis,*

*Subdita puluillo somnia vera facit.*

Quinetiam ex lauri crepitu, dum vritur, veteres futura prædicebant. si enim crepuisset in igne maximè fœlicitatem: contrà, si siluisset,